

et Slavonia hactenus habita, usque dum Magistratus Comitatus eorundem qualitatem et necessitatem pro exigentia Legum reviderint vel stabiliverint, vel abrogaverint, vectigaliaque eorundem limitaverint, et solita privilegia desuper impetrata fuerint, in statu quo relinquantur. Ideo his quoque semet conformabunt et praemissam Tricesimarum translationem ex parte Slavoniae et Syrmij effectuant saepefati Commissarii. Quod ipsum etiam ex parte Hungariae effectuant Regiae Camerae nostrae Hungaricae commitemus. Et quia

Undecimo: Etiam id in Syrmium et inferiorem Slavoniam libenter induci et stabiliter observari cuperemus, ut Incolae ibidem a praestatione Nonae semper etiam in futurum immunes maneant, quemadmodum hactenus fuerunt; E converso in casu necessitatis ad instar Banderiorum Regni Croatiae ad Castra exire et ibidem militaria servitia praestare teneantur; Igitur Commissarii nostri Regij omnem industriam eo impendent, ut adhibitis modis et medijs, ad id necessarijs et convenientibus, praemissam Intentionem nostram in effectum deducere, et semel pro semper stabilire valeant, Nobisque refferant.

Et haec sunt quae in Materia Incorporationis Syrmij et inferioris Slavoniae praevio modo ordinata Regia et Provincialis Commissio ad exigentiam praecitatarum Legum in effectum deducenda habebit, quibus effectutis, praelibati Commissarii nostri Regij, absentibus Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae deputatis, semet ad partes Regni nostri Hungariae trans Danubium conferrent et ibidem operationes suas incipient. Proinde

Duodecimo: Siquidem ex ratione servitij nostri et boni publici etiam id clementer resolvissimus, ut eousque etiam, donec ex parte quoque Hungariae Regni supracitatus Articulus 18. novissimae Diaete praescripto ibidem modo et forma plenarie in effectum deduci possit, interea etiam trans Danubium in Comitibus Bach et Bodrogh praeter Oppidum Szabatha seu Szent Maria dictum jam Anno praeterito incorporatum, etiam alia in iisdem Comitibus existentia Loca Militaria Zombor, Prestovacz et Palanka, velut supra Petro-Varadinum inter mera aequae loca provincialia et Contribuentia, sita, cum universis appertinentijs suis per Militares ibidem hactenus possessis, Camerae nostrae Jure Terrestrali possidenda tradantur, et cum sibi a proportionibus obvenientibus oneribus publicis Jurisdictioni dictorum Bach et Bodrogh Comitatum ad instar Oppidi Szent Maria nunc statim provisorie incorporentur, eorundem autem Incolae, qui militares perseverare volunt, inde Cis Danubium ad Confinia Syrmij et Slavoniae a Petro-Varadino usque Semblin ducenda transferantur, sicque a Contribuentibus separentur. Caeterum quoad Terminum translationis Hospitum illorum, qui actu in Castris nostris constituti sunt, ea etiam hic loci observabuntur, quae superius ad punctum in Ordine septimum et ibidem denominata Loca militaria praescripta sunt.

Decimo Tertio: Incolae praefati jam Incorporati Cameralis oppidi nostri Szabatha seu Szent-Maria, qui pro militaribus semet jam declararunt, et ulterius etiam tales perseverare volunt, ad summum usque finem Octobris vel initium Novembris Anni currentis ad alium Cameralem Locum nostrum Mossorin, in dicto aequae Comitatu Bachiensis, vel altero Bodroghiensis inter Tibiscum et Danubium sito, in quantum a proportionibus Numeri et necessariae ac bonae Subsistentiae ipsorum illuc illocari poterunt, in quantum vero hoc fieri nequiret defectus ex alijs Locis in illius vicinia (ubi jam praevie ad Prothocollum diei 8. Martij Anni currentis benigne resolvimus) per Commissionem supleatur, idem-